



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.63. Carmelitæ & Augustiniani Parisiis domos obtinent.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](#)

Sæcul. XIII. veritus hoc pœnitentiæ genus per totum
 A.C. 1260. regni sui spatum, per Marchiam Anco-
 nitanam Hetruriamque constituta mor-
 tis pœna interdixit. Ejus exemplo Mar-
 chio Palavicinus idem Cremonæ, Brixæ,
 Mediolani, & ubicunque imperitabat, pro-
 hibuit. Henricus Bavariæ Dux & ali-
 quot Germaniæ Episcopi hos Flagellan-
 tes contemptim rejecerunt. Prandotha
 Cracoviæ Episcopus eos pepulit, carce-
 res, nisi prompte discederent, minitans.
 Janussa Archiepiscopus Gnesnensis, cæ-
 terique Poloniæ Episcopi detectis illorum
 erroribus fecere, ut Optimates sub gravi-
 bus pœnis vetarent, ne quis hanc sectam
 sequeretur. Sic spreta brevi ac relictæ
 est, sicut absque authoritate ac ratione
 formata fuerat.

§. LXIII.

*Carmelitæ & Augustiniani Parisiis
 domos obtinent.*

Parisina Universitas consensit denique
 in recipiendos Fratres Prædicatores,
 ut docent tabulæ publicæ Rectoris, &
 omnium Doctorum auditorumque nomi-
 ne confectæ; in quibus ajunt: Statui-
 mus & sancimus certas ob causas aliis
 in litteris fusius expressas, ut Fratres Præ-
 dicatores seu Jacobini (sic Parisiis appel-
 lantur) quotiescunque ad nostros actus
 publi-

Duboulai.
p. 356.

publicos vocati vel admissi fuerint, postremum ibi teneant locum, nempe Theologiæ Doctores post cunctos reliquos ejusdem Facultatis Doctores juniores senioresque, seculares ac Religiosos; & in disputationibus nonnisi post Doctores cæteros argumententur; ex eorum Ordine prima donati laurea seu vulgo Baccalauri ultimam pariter sedem occupent post reliquorum Ordinum Baccalaureos, scilicet Fratres Minores, Carmelitas, Augustinianos, Cistercienses, cæterosque Regulares; atque præsens constitutio promulgetur, templorum portis affigatur, & jurejurando firmetur ab omnibus iis, qui nobis juramentum dixerunt. Dabamus ad S. Maturini nostro in conventu generali hac de causa ter convocato nimirum 20 Jan. 19 & 21 Febr. an. 1259 sive 1260 post Pascha.

Hic mentio fit de duobus novis Ordinibus Religiosorum Mendicantium, Carmelitarum scilicet & Augustinianorum, qui nuper Parisiis domicilium collocaverant. Carmelitæ erant illi homines so-
Sup. lib. 76.
litarii (de quibus memini) in monte Car-
meli instituti ante finem seculi duodeci-
mi, quibus dein Albertus Patriarcha Hiero-
solymitanus regulam dedit. S. Ludo-
vicus aliquos eorum secum duxit in suo
a Palæstina reditu, & Parisiis domicilio
donavit, ut liquet ex quadam epistola,
Hist. Eccles. Tom. XXI. U quam

Sæcul. XIII.

A.C. 1260.

Sæcul. XIII.**A.C. 1260.****Dubreuil.****Antiq. p. 567**

quam Rex Carolus Pulcher ejus pronus pos anno 1322 scripsit. Habitabant initio ad ripam Sequanæ eodem in loco, in quo hodie sunt Cœlestini.

Sup. §. 26.**Dubois hist.****to. 2. p. 442.****Dubreuil.****p. 550.**

Augustiniani erant illi Eremitæ, quos Papa Alexander IV. in unum idemque corpus sub Generalem Præpositum Lanfrancum an. 1256 redegerat. Parisiis sedem acceperant mense Decembri anno 1259; eorumque domus erat in vico Montis Martyrum tunc extra urbem posito & prope illum, quem ex iisdem etiamnum dicimus vicum Augustinianorum veterum.

§. LXIV.

Albertus Magnus Episcopus Ratisbonensis.

Albertus Ordinis Prædicatorum Doctor celeberrimus etiamnum Coloniae Theologiam docebat, cum Papa Alexander illum elegit ad sedem Ratisbonensem cedente Episcopo vacuam. Illius doctrina & virtus erant momenta, ob quæ Papa eum censuit idoneum restaurandæ huic Ecclesiæ in spiritualibus æque ac temporalibus graviter perturbatæ. Quamobrem Alberto ejus curam injunxit, ut

Ex Schedis**K. P. Æac.****Echard. ap.****Bzov. 1260.****n. 8.**

apparet ex litteris Pontificiis Anagnæ 5 Jan. 1260 datis. Sed Humbertus Romanensis Generalis FF. Prædicatorum Magi-